

58.

Viro amplissimo D. N. Jacquino s. pl. d. C. Linné.

Respondeo mox ad Tuas d. 30. Octobris, ultimas.

Tab. 88. cum herba inodora et sola radix odorata, nec fructus contortus Sp. Ulmariae; certe distincta erit species ex hisce datis.

Tab. 97. de hac planta non certus sum.

Tab. 96. Grates reddo pro seminibus, forte hanc numquam vidi.

Tab. 38. *Myagrū paniculatum* simillimum est, sed nequitiam perenne, et fructus semper lentiformis, ut vitra microscopica.

Tab. 28. *Antirrhinum* Tuum certo aut erit *Antirrhinum spinosum* Mantiss. primae quam habes, aut *Ant. cirrosum* Mant. alt. p. 249. cujus descriptio inde excisa mittitur.

Semperviv. globuliferum forte mea varietas hirti, quamvis D. Mygind dicit hirtum habere 12 stamina et globuliferum 6.

17. Fungus. Habemus eundem? in foliis cum foramine simplici, quod *Lycoperdon epidendrum*, sed cancellos, quales tuus habet, numquam vidi. Svaderem quod refereretur ad *Lycoperdi* genus, cum in hoc genere species tam vario modo dehiscant, ut *carpobolus*, stellatum, radiatum.

Gypsophila paniculata omnino est. Habeo eandem in Horto, sed absolute feminam, an Tua habeat etiam stamina ob nubilum hodie coelum videre nequeo. An alterum individuum sit mas aut hermaphroditus Tu quaeso doceas.

43. *Sylphii* duas species habeo in Horto, ambae perfoliatae; sed altera est caule laevi, altera caule hispido seu strigoso. *Silphium perfoliatum* foliis oppositis sessilibus perfoliatis, caule quadrangulo laevi, quae in Spec plant. 1301.

Silphium connatum foliis oppositis sessilibus perfoliatis, caule tereti scabro Mantiss. alt. 574. cum descriptione.

45. *Echium plantagineum* Mantiss. alterae inclusae.